

ELEGIDIA EPIDICTICA.

183

Quorundam in Europâ Regum,
Principium, Comitum, aliorumq; clarissi-
morum Virorum, qui in Civitate Dan-
tiscanâ & extra Illam olim vixerunt
& adhuc vivunt & inno-
tuerunt,

*Virtutes & actiones notantia & ad expellendas calumni-
antium iniquitates cum præfatione apologeticâ ad Am-
plissimum Magistratum Gedanensem necessitate
sic cogente in lucem e-
missa.*

â

LAURENTIO GABLERO

Juris Practico & P. Laur. Cæsareo.

*Duo sunt tibi necessaria: scilicet Conscientia & Fama:
Conscientia propter Te: Fama propter proximum.
Qui Conscientiæ suæ confidens Famam negligit, crudelis
est. August. lib. de communi serm. clem.*

Typis excusa Anno 1653.



MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLIS-
SIMIS, PRUDENTISSIMISQ;

D. D.

DN. BURGGRABIO REGIO,
DN. PRÆSIDI,
DN. PRÆCOSS. ET COSS.

Inclytæ Regiæq; Civitatis Dantiscanæ, Pa-
triæ Patribus, Dn. Fauitoribus & Mecæna-
tibus suis plurimum colendis.

d. d. d.

Autor.

45/1945

W

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AM-
PLISSIMI, PRUDENTISSIMI DOMI-
NI FAVITORES HONO-
RANDI.

NON semel animo atq; cogitatione feci,
quod re ipsâ nunc præsto. Elegidia in-
quam hæc epidictica oculiferio expone-
re & M. N. A. P. V.^{ris} nuncupare desti-
navi: Sed non volente Eventu. Nam grassante un-
diquaq; versificantium & diludia hujusmodi literaria
cauponantium gangranâ veritus sum, ne scribendi ca-
coëthiâ me teneri, siue laudem aliquam in hoc mu-
staceo quærere, vel tanquam importuna musca curis M.
N. A. P. V. sanctioribus obstrepere viderer. Quo fa-
ctum, ut schedia hæc inter negotiorum laxamenta festi-
nata tralatitio adspectu non dignatus sim, sed liberali
custodiâ mecum asseruaverim. Eo magis, quod in tan-
tâ rerum penè omnium sursum ac deorsum euntium
versatione jejunum Musarum Numen ad rumen im-
plendum nihil faciat, sed inter Patres solâ plumbagine
notos & primas ubiq; fermè locorum tenentes miserè
frigeat & rigeat. Fato tamen major Necessitas hanc
mihi legem imposuit, ut fractis carcerum repagulis in-
nocentes versiculos in lucem protraherem, eosq; nullis
omninò pigmentis ac calamistris fucatos edecumatis M.
N. A. P. V. judicijs sisterem: nullus dubitans, quin ex

nativi candoris, coloris & oris curatius inspecto habitu simplicissimam Germanæ integritatis probitatem & probitatis integritatem cognoscatis. Qua nec illustribus magnorum Heroum Numinibus neq; inclitis M. N. A. P. V. Nominibus neq; alijs boni commatis Homini- bus ullum nigræ lolliginis succum aspersum esse impræsentiarum deprehendatis. Quo tamen vitio effrons illa bonorum virorum pedissequa Calumnia venenatis suis jaculis & maculis non tantum Me invasit & conspurcavit; verum etiam aliud detestabilissimum nullisq; februalibus sacris unquam expiabile scelus, Catilinariæ nimirum factionis & proditoriae adversus hanc Civitatem conspirationis Mibi peregrè rerum mearum satagenti improperare haud erubuit. Equidem ut primum factorum horum atrocitas per traduces hominum linguas literasq; interpretes ad aures pervenit meas, non potui adduci ut crederem, repertum iri quenquam, qui tam portentosis ac horrendis mendacijs animum atq; aures adverteret, præter eum, qui vel omnem humanitatis sensum expectorasset, vel ingenuam genij atq; ingenij mei indolem nunquam perspectè cognovisset, sed nugis venalibus publicos ludos præberet.

- - - in risum Populi plausumq; theatri.

Rectè itaq; factorum fretus conscientia omnes istas famigerationes insuper habui & Deo Risui litavi: non

ignarus

ignarus penè ad ultum in Civitate Dantiscanâ esse ma-
lum, ut Homines Atheneæ curiositatis ac Spermolo-
giæ studio ut plurimum intenti in omni penè aëre rete
jaculo nova piscentur, & sæpè inopiâ veri more vete-
rum Sabinorum quicquid volunt somnient, aut quoquo-
modo audita ac ficta pro factis & compertis in vulgus
spargant. Quibus etiam non rarò prudentissimos quosq;
in sequiorem opinionem trahunt, & animorum oculo-
rumq; aciem quasi glaucomate ac phantasmate quodam
ita obnubilant, ut ad falsitatis & erroris diverticula
deflectant, & quotidiano auctu frontisq; constantiâ tam
diu irremeabiles teneant, dum Eventu magistro di-
dicere fuisse mera à portâ eburneâ somnia, quæ ante
adducebantur tanquam oracula. Vnde tandem ad
turpissimam illam fragilitatis & inconsiderantiæ hu-
manæ excusationem veniunt & fateri coguntur: De-
ceptus sum: non putaram: non prævideram. Si-
milem hac, quam dixi fabula prologum habuit & epi-
logum. Postquam enim desultorijs itineribus ex
causis fonticis ultra præfinitum domuitionis terminum
aliquandiu distractus distentusq; fui, atq; in silendi
proposito perseverando omnes ex longinquo Mihi ob-
jectos Calumniarum bolos Stoico stomacho concoxi, &
nescio similis despicientiam simulavi, continuo sinistra
de Me conceptæ opiniones, quasi Ego cum Patriæ pro-
ditoribus consilia agitare & poenæ metu animum

rever

revertendi non haberem. Et quaecumq; praesump-
tiones hujusmodi aliae. Quibus effectum, ut de ru-
mificatâ domicilij mei mutatione & supellectile in a-
liud territorium jam translatâ, sive brevi transferen-
da non solum inquisitio habita sit, verum etiam curio-
sus novarum rerum Allobrox apud quendam intimæ
admissionis Amicum omniumq; arcanorum meorum
participem ad hoc horribile complicitatis mysterium
investigandum alibi locorum se insinua-verit. Suo
an alieno motu incertum. Et quanquam Ille de
integritate & innocentia meâ religiosum protulit te-
stimonium, omnesq; calumniarum nebulas dissipavit;
tantum tamen absuit, ut liquido asserta veritas à lym-
fatis istis nugarum tendiculis me extrica-verit, ut eti-
am interjectis aliquot septimanarum spatijs fumosa &
famosa illa Obtrectatio praefatorum criminum magnâ
cum obstinatione Me reum arguere eaq; tanquam ex A-
pollinis Tripode aut tertio Pauli caelo delapsa oracula a-
liorum auribus inculcare voluerit, additâ horrendi
carminis lege in caput & corium meum jam parata.
Quibus cognitis non potui amplius animo imperare
meo, quin in rem praesentem venirem, & oculatâ die
Me publicè conspiciendum praerberem, si fortè isti sar-
tores & sutores scelerum posticas suas criminationes
in frontem Mihi depluere, aut more majorum ad pu-
blica Judicij Dryphaeta dicam scribere animos com-
mascu-

masculare suos præsumerent. Sed immane quanta
ad meum conspectum tranquillatis nugatorum moti-
bus Alcedonea circa forum, adeo, ut Circaeο quasi po-
culo infatuati mirā metamorphosi ad sanio rem men-
tem redire & compositas in pudorem & ruborem
frontes præsere ferre viderentur. Verum cum peni-
tentiā nemo nocens esse desinat, neq; improvida hu-
jus aut illius loquacitas bonorum Virorum famam atq;
existimationem per cuniculos impunē admanire debe-
at, siquidem multis experimentis constat, quod in hoc
virtutum effæto & calumniarum feracissimo seculo
hominum mentes invidorum & Sycophantarum mor-
sibus præoccupatę, nisi hæ tanquam pestifera quedam
herba funditus eradicentur, veram postea exculpationem
agrè admittant, sed illa veteris cujusdam jussio
plerumq; obtineat: Calumniare audacter semper
aliquid hæret; Idcirco præactas calumnias citra
maximam nominis atq; honoris mei depreciationem
minimè mussitandas esse duxi, sed Nobiliss. Dno. Præ-
sidi tanquam privatorum desideriorum promo condo
totius rei gestę summam anno proximè præterlapso
demensam dedi: cum seriā obtestatione dignaretur
captato commoditatis articulo M. N. A. P. V. libellum
meum Suppilcem eo nomine offerendum proponere, ac
simul curatum dare, ut pessimum illud & poënis nun-
quam satis coercitum genus hominum Delatores &
Calum-

l. 65. ff. de
furt. l. 17.
§. 1. ff. de
edilit. e-
dict.

Calumniatores professis nominibus detegerentur, quo contra illos inculpatæ tutelæ vindictam exercere ac sub dio testatum facere possem, Me puras ab isto stellionatu habere manus, neq³ affinem unquam fuisse ullius in Patriæ aut cujusvis boni perniciem molitionis.

At fatum nescio Stoicum an Astrologicum interces-
serit, quo minus Vir cætera benè de bonis merendi
promptissimus & Iustitiæ observantissimus varijs cau-
sificatis impedimentis voti mei Me compotiret, Sed
nugamenta illa Silentio transmittere & tranquillitati
Reipub. condonare svaderet, non attentis rationibus
de necessariâ famæ atq³ existimationis meæ defensio-
ne in contrarium allatis.

Idem mihi Anno 1647. à tunc temporis Dictato-
re usu venit. Qui in causâ non minus prægnanti
Libellum meum Supplicem cum documentis quibus-
dam alijs sub quæsito negotiorum magis necessariorum
obtentu in hunc usq³ diem seposuit, ac procul dubio
perpetui silentij supparo involvet, ne Adversariorum
meorum injustitia ad M. N. A. P. V. audientiam &
cognitionem unquam dispalescat. Quamobrem omni
auxilio destitutus ad solam Patientiæ Scholam ali-
quantisper viam degrumare coactus sum. Ubi
magnifica & rerum vacua multoties Mihi dictata
verba ruminando sæpè nobile illud Sophorum par
Mihi exoptavi. Heraclitum inquam & Demo-
critum.

critum. Quorum Hic quorundam privata & sub publici officij velamine ac lunaribus argumentis in presentissimum vitæ & famæ meæ præcipitium colorata odia ac turbamenta rideret: Ille in casibus & causis à parte meâ favorabilibus adversus nonnul-
lorum à Iustitiæ tramite deviantia molimina sæpissi-
mè quidem expetita, sed varijs incundæ transactio-
nis ambagibus ac prolixis benevolentia ostentamen-
tis sufflaminata legum auxilia deploraret. Quæ
duæ juris & æquitatis parecbases eò inexcusatius u-
surpata, quò majorem delinquendi illecebram ex im-
punitatis confidentiâ & conniventiâ Gablero mastij-
ges sibi tribuerunt & nihil non libidini suæ condona-
runt. Longè alia Iustitiæ norma & forma Imp.
Trajanum olim commendabilem fecit, quando æternâ
memoriâ dignissimo hoc insignitur elogio. Quod in
omnibus cognitionibus miti severitate & non
dissolutâ clementiâ populorum reverentiam er-
ga Se paraverit: quod nulla in audiendo fuerit
difficultas, nulla in respondendo mora: quod
adierint STATIM, quod dimissi fuerint STA-
TIM: postremò velocissimi sideris more omnia
invisere, omnia audire & undequaq; invocatum
STATIM velut numen adesse & assistere con-
sueverit. Cui quoq; Amor & Delicium illud
humani generis. Titus Vespasianus non absimilis.

Plin. in
Panegy.
mibi fol.

Qui 90. & 91.

Qui cum vehementer vitiatis intestinis angere-
tur, nihilotenus Imperatorijs muneribus funge-
batur, adeo ut lecto decumbens legationes ipse
audiret, & Amicis hortantibus ut sibi parceret
respondit: Imperatorem stantem mori oportere.

*Eras. in a-
porbeg. lib.
6. n. 17.
pag. 604.*

*Vt nihil de Imp. Augusto dicam, Qui promicuis
salutationibus & plebem admisit, tantaq; comi-
tate adeuntium desideria excepit, ut quendam
joco corripuerit, quod sic sibi Libellum porri-
gere dubitaret, quæsi elephanto stipem. Certè*

*Suet. in vi-
84 Augusti
6. 53.*

*mehercles boni Magistratus characterismi, quibus à
fastuosis rerumq; publicarum incuriosis discriminan-
tur, qui auctoritatem suam Magistralem non aliter
consistere & sublimari posse existimant, quam si in-
desidiabulis suis voluptuantes rarò aut agrè sui copi-
am faciant atq; indilatum illorum auxilium imploran-
tes multarum morarum tædio fatigent, aut, nisi à mi-
nistris pararijs illorum gratia præoccupetur, verbis
acerbis à Se repellant, Libellosq; supplices abijciant,
quo Cervi quod ajunt, sua cornua. Imitantes in hoc
pessimum Demetrii Regis Macedoniae exemplum,
qui aliquando in viâ magnum Supplicationum
Sibi oblatarum & non lectarum cumulum in
flumen Axium projecit. Aniculæ autem cujus-
dam dicto, quæ cum sæpius eum in viâ interpel-
lasset, utq; se audiret postulasset, dixerat non va-
care*

care Sibi, altâ voce, Noli ergo regnare dixerat:
compunctus re diligentissimè secum cogitatâ
domum redijt, atq; omnia alia negocia petiti-
onibus suorum audiendis postponens, factô â ve- *Plutarch.*
tulâ illâ initio aliquot dies causis cognoscendis *in Demet*
impendit. *Adrianum quoq; Imp. accepimus, cum* *n. 20.*
anui cuidam transeunti, & Se ut audiret rogan-
ti respondisset, ocium sibi non esse; & illa dein-
ceps magnâ cum parrhesiâ clamasset, Noli ergo
imperare: statim conversum mulieris querelam
summâ comitate auditam expedivisse. *Nec* *Die Hist.*
immeritò. Nam boni Magistratus est facere judicium *Rom. lib.*
& justitiam & liberare de manu Calumniatorum *69 fol. 790.*
vi oppressos, nec non Viduis, pupillis & peregrinis, qui
facilius opprimuntur â potentioribus præbere auxili-
um. Secus facientes Spartam suam non rectè tuen- *Gail. lib. 1.*
tur, sed suo merito tanquam infrugifera istius ordi- *de Pace*
nis organa dicenda atq; habenda erunt. Contra quæ *pub. c. 3.*
Summus ille rerum humanarum moderator & arbi- *n. 13. cum.*
ter stilum suum decretorium aliquando stringet & *Autorib.*
detonabit illud Sapientis. Præbete aures Vos, *ibi allegat.*
qui continetis multitudines, & placetis Vobis in
turbis nationum: quoniam data est â Domino
potestas Vobis, & virtus ab Altissimo, qui inter-
rogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur:
quoniam cum essetis ministri regni illius non

rectè judicastis, nec custodistis legem Justitiæ,
 neq; secundum voluntatem Dei ambulastis.
 Horrendè & cito apparebit vobis, quoniam ju-
 dicialium durissimum in his qui præsumunt, fiet.
 Exiguo enim conceditur misericordia: Potentes
 autem potenter tormenta patientur. Non enim
 subtrahet personam cujusquam DEUS, qui est
 omnium dominator: nec verebitur magnitudi-
 nem cujusquam, quoniam pusillum & magnum
 ipse fecit & æqualiter cura est ipsi de omnibus.
 Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Neq;
 est quod nonnulli existimant Se ad peregrinorum Ci-
 viumq; albo non inscriptorum gravamina audienda
 non tam exactè teneri, quàm Eorum, qui jure Civi-
 tatis gaudent, & juramenti vinculo Magistratui sunt
 obstricti. Nam qui hæc abnormia suam tot Legum
 divinarum & humanarum vel produnt ignorantiam
 vel renitentiam. Quarum illæ Extraneos Indi-
 genarum censu censendos & speciali favore atq; amo-
 re prosequendos esse sub gravissimâ Majestatis divi-
 næ pænâ sancivere: Hæ verò extra ordinem illorum
 causas audiendas, & jura Hospitum ijs indulgenda es-
 se ex singulari philoxoniæ erga afflictos affectu statue-
 runt. Quarum Sanctionum orbitam M. N. A. P.
 V.^{ra} in hac Civitate religiosâ quoq; veneratione hac-
 tenus non tantum presserunt; verum etiam adconte-
 standum

Sap. 6.

Levit. 19.

v. 33. 34.

Deut. 10. v.

18. 19.

Deut. 27.

v. 19. Exod.

23. v. 9.

Zach. 7. v.

9. 10.

Lorichius

tract. de

standum Pietatis & Iustitiæ suæ in Rempub. Zelum *Repressali-*
is. Dd. in
l. vn. C.
supra valvas Curia hoc in more incisum & aureis li-
teris publicè legendum expressere Symbolum:

PIETATE ET JUSTITIA.

Unctis duabus ab utroq; latere statuis: una Ha-
giographia Codicem, altera gladium evaginatum
manu dextrâ, & libram equali lance sinistrâ osten-
tans. Pol ritè & scite! Nam ut duobus his quas
fulcris & Dijs Tutelaribus totius Reipub. Salus atq;
incolumitas nititur; ita metuendum omnino erit.

Ne collapsa ruant, subductis tecta columnis. *Juvenalis*
Satyr. 5.
lib. 3.
atq; adeo magna Regna magna fiant latrocinia &
tristissima panalotriæ spectacula. Exemplo esse po-
test Respub. Romana omnium quas Sol unquam con-
spexit Rerumpub. florentissima atq; optimè constituta.
Illâ quoad in Eâ Religio & Iustitia in flore & vi-
gore fuerunt, tam diu inconcussa stetit & crevit;
Reges magni bello domiti, nationes feræ & po-
puli ingentes vi subacti; Carthago æmula Impe-
rij Romani à stirpe interijt: cuncta maria, ter-
ræq; patebant. Posteaquam autem primò pe-
cuniæ, dein imperij cupido crevit, ea quasi
materies omnium malorum fuere. Namq; a-
varitia fidem, probitatem, cæterasq; artes bonas
subvertit, pro his superbiam, crudelitatem, De-

os negligere omnia venalia habere, edocuit: ambitionem multos mortales falsos fieri subegit: aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere, amicitias inimicitiasq; non ex re, sed ex commodo aestimare, magisq; vultum quam ingenium bonum habere. Post, ubi contagio (id est simultatum & morum immutatio & contaminatio, ut Anton. Thysius in notis explicat) quasi pestilentia invasit; civitas immutata imperium ex justissimo atq; optimo, crudele intolerandumq; factum. *Ac certè non minus verè*

*Salust in
Catalin.*

quam graviter quidam scriptum reliquit, Causas Conversionum & mutationum, quæ hodiè in multis Regnis ac ditionibus plenis grassantur passibus, provenire ex pietate fictâ, iustitiâ fucatâ, disciplinâ corruptâ.

*Joh. Köp-
pen in præ-
fat. Decis.
suar.*

Maeste ergo M. N. A. P. Dni. verâ & severâ Iustitiæ administratione adversus cuniculosas improborum Calumniatorum actiones & factiones, nec non Vra. Pietatis & Iustitiæ in titulis professa nomina non tam pompæ ac ostentui quàm vera ac realia esse Vocabula exemplis in vulgus editis comprobate. Idq; veteri Legum & Placitorum ductu. Quibus inter

*Ecclesiast. alia Sacrae literæ susurriones furibus turpiores; Et
e. s. v. 15. Mendaces sive Calumniatores suspendio dignos judi-
Siracid. c. cant. Quibus & votum Comici consonat:
2. v. 27.*

Homi-

Homines qui gestant, quiq; auscultant crimina,
Si meo arbitrato liceat, omnes pendeant:

Gestores linguis, Auditores auribus.

Plaut. in
Pseud. act.

Nec absq; ratione. Nam juxta Damasum Pa-

1. Scen. 5.

pam, non solum ille reus est, qui falsum de alio
profert, sed & is, qui aurem citò criminibus
præbet. *Adriani Papæ Decreto quoq; cautum re-*

in c. non
solum. 11.
q. 3. Isid. 3.
de sum. bo-
no.

peritur, ut Delatoribus aut lingua capuletur, aut

caput amputetur. Titus Vespasianus Eos assi-

c. Delatoris
5. q. 6.

duè in foro flagellis & fustibus cæsis, ac novissi-

mè traductis per amphiteatri arenam partim su-

Suet. in vi-
ta Vespasi-
ani. Sent.
lib. 5. c. 4.

bijci in servos ac venire imperavit, partim in a-

sperrima insularum avehi. Paulus Ictus. omnes

Calumniatores exilij vel insulæ relegatione aut

ordinis amotione puniendos esse statuit. Imp. p.

Honor: & Theodos. rescripsere: Calumniatores

ad vindictam esse poscendos similitudine suppli-

cij, id est, ut quod periculum dolosè alicui crearunt,

id quasi jure talionis in ipsorum capita reverti debe-

re. Optimâ sanè ratione. Nam si quis quæ fecit

patitur justissima pæna est. Et ut Sementem feceris

ita metes. Quin & olim Lege Remmiâ stigma lite-

ræ C. vel K. fronti Calumniatorum inurebatur quo ab

omnibus integræ frontis hominibus dignosci possent.

Equidem non ignoro dictas hæc Sanctiones partim

senio & inusu obsolevisse, partim quoq; mitiores quam

l. 13. ff. de
Testib.

commissi

commissi criminis postulat atrocitas, illis esse surrogatas. Quibus Reus convictus præstita fama atq; honoris Partis læsæ declaratione & multa pro Iudicis arbitrio soluta omnimodam peccatorum suorum consequitur absolutionem, & manente epitimia pro bono ac honesto viro nihilominus reputatur. Verum enim vero si salvo aliorum iudicio complicatam animi mentionem liberè evolvam, & quod res est dicam, magna omnino ratio suadet, veteris istius disciplinæ rigorem pro communi hujus Civitatis bono ac securitate homologatis Ordinum suffragiis auctorare & inter municipalia jura perpetuo duratura referre: Eo potissimum attento, quod teterrima illa bestia superiore & horto anno non tantum Sacrosanctam Status Ecclesiastici auctoritatem viperinâ linguâ & pennâ palam impetere & infamare; Verum etiam venenoso suo victu & ictu plus simplici vice M. N. A. P. Vis, universis ac singulis non modio aut trimodio, sed toto planè horreo detestabilissima vitia & convicia (quorum animus hic meminisse horret, lingua stupet, vox faucibus hæret) demensa dare & viritum dissipatirier sit ausa. Cujus mali labes ac tabes ex eo potissimum fonte in totum hujus Universitatis corpus derivatur, quod nimia lenitas & clementia in effrenes inculpatæ virtutis ac famæ Sandapilarios exercetur, neq; grassantibus istis ultra omnem honestatis mo-

Vide
 Sacpfeis
 fe/Brum
 eisen/
 Scrofidel
 etc.

vide literas
 cujusdam
 Corona Fi-
 lij ad Prin-
 cip. Radze-
 vil. Anthi-
 zeses The-

tis modum vitijs ac flagitijs poenas exasperandas, atq; ^{lib. Politi-}
 abrogatis statutis minus commodis meliora ad præ- ^{co. pract.}
 sentem usum aptanda esse ulla subeat cogitatio; Cum ^{oppositas.}
 tamen multis experimentis satis cognitum sit, quod ^{Castigati-}
 sicut phagedænica ulcera & corporum morbi veteres ^{ones in}
 ac diu aucti, nisi per aspera & dura coërceantur, to- ^{Iud. Publij}
 tum hominem inficiant & corrumpant; ita prævalida ^{vatinij}
 & adulta Delatorum atq; Calumniatorum carcino- ^{etc.}
 mata eorumq; ex destinato proposito malè gesta levi ^{l. 32. ff. de}
 spongiâ non abstergenda, neq; betâ aut malvâ curan- ^{u. l. 2. ff.}
 da, sed acrioribus remedijs restringenda, imo ense re- ^{de constit.}
 cidenda sunt, ne contagione latius serpant & plus ^{princip. l.}
 noxæ adferant. Præterquam enim quod sæpe usu ^{51. ff. de}
 venire videmus, ut ex perfunctoriâ ejusmodi crimi- ^{Decret. ab}
 num animadversione talis lis oriatur, qualis olim Cor- ^{ord. fac.}
 bis & Orsua, qui nullum alium Deorum hominumve ^{Decret.}
 judicem, quam Martem ferre voluerunt, non satis li- ^{Greger. c.}
 quet, quo jure bonorum virorum fama, quæ pari cum ^{8. lib. 4.}
 vitâ passu ambulat, & more liberi corporis nullam ^{tit. 14.}
 æstimationum recipit, precio nummario taxanda & ^{Bald. in c.}
 in marsupio judicantium habenda sit. Siquidem ^{olim co-}
 multitudo peccantium crescit cum redimendi ^{lum. pen. de}
 peccati spes datur, & facilè itur ad culpas, vbi ^{Rescript.}
 venalis ignoscentium est gratia. Et in cujus ^{Liv. Decat.}
 manu est, ut aliquid prohibeat, iubet agi, si non ^{3. lib. 8.}
 prohibet admitti. Vnde Ludovicus 12. Rex Gallo- ^{pag. 315.}
 rum ^{lit. B.}

Salvian.
lib. 7. de
gubernat.
Dej.

rum Psalmum 106. legens dixit: Principem qui
crimen punire potest, nec punit, non minus esse
reum, quam si ipse perpetrasset.

Parthen.
lit. lib. 1.
c. 2.

--- Nam plus sæpè nocet patientia Regis
Quam rigor: ille nocet cunctis, hæc incitat omnes,
Dum se ferre suos sperant impunè reatus.

Günther.
Ligur. lib.
1.

Et quamvis interdum providi Iudices pro factorum
et circumstantiarum qualitate plus Equum colora-
tum quam diphthongatum, magisque rationes tinnulas
quam orationes vinnulas spectare tenentur, tamen id
in casibus promiscuè omnibus minimè attendendū erit,
præsertim, cum atrocitas facti, aut malitiosum delin-
quentis propositum, sive personæ calumniatæ digni-
tas pænæ acrimoniam adhibendam esse suadent. V-
bi sine cauteriata conscientiae metu mitiorem dictis le-
gibus se ostendere et ad palpum argenteum Senten-
tiam dirigere minimè licet. Cæterum si fures et
direptores bonorum temporalium, quorum nulla cum
honestâ famâ est proportio, capitali supplicio afficiun-
tur, quanto magis honoris atque existimationis nostræ
Laverniones vel gladio ultore ferire, vel virgis pu-
blicè excoriare, aut infamæ relegatione extra omne so-
cietatis humanæ consortium proscribere par erit.
Quæ super cuncta æquè absonum videtur, malitiosum
et publicè convictum Calumniatorem boni ac hone-
sti viri titulo insignire, quam olidam famosamque Thai-
dem

dem dicere castam Penelopen, siue nothos legitimè na-
 tis equiparare; vel aurum adulterinum pro puro pu-
 to exponere & vendere. Quippe Calumnia semper ^{1. 4. §. 8. de}
 turpitudinem & infamiam conjunctam habet. Qua ^{his qui not.}
 semel attracta & impressa autoribus suis tam insepa- ^{infam.}
 rabili glutine adhaeret, ut nunquam abluere eam pos- ^{Marij Fre-}
 sit omnibus suis Oceanus undis. Sed quid ego homo exist. ^{lib. 3.}
 privatus & gente Extraneus in aliena Repub, ubi ^{6. 6. n. 8.}
^{νόμον καὶ χῶρον} observasse convenit, sum curiosus, neq;
 tralatitium illud cogito: Rarò benè loquitur, qui ^{Bald. cons.}
 contra omnes loquitur. Minimè gentium. Nam ^{112. vol. 2.}
 JUSTITIA hoc loquitur, VERITAS loquitur, SA-
 LUS Patriæ loquitur; Quarum incrementis velifi-
 candis citra ullum ullius status ac conditionis respe-
 ctum maximos, minimos, medioximos allaborare o-
 portet. Et quemadmodum ingruente belli necessitate
 contra hostium incursiones quemvis arma sumere &
 presentibus caput objectare periculis æquum est; ita ^{1. 3. ff. de In-}
 ubi tantus vitiosorum & sceleratorum hominum ex- ^{stit. & jur.}
 ercitus in chorum & forum impressionem facere, & ^{1. 4. ff. ad}
 in Reipub. gremium se illatebrare molitur, unicuiq;
 Viro bono & Patriæ amanti, imprimis verò Justitiæ
 Sacerdotibus Ius est, cum honesta modestaq; libertate
 in commune consulendi & arma ad resistendum sup-
 peditandi: Quandoquidem juxta præclarum Impera-
 toris effatum non tantum illi militare creduntur,

qui clypeis, gladijs & thoracibus nituntur, sed
 etiam qui gloriosæ vocis confisi munimine am-
 bigua caularum fata dirimunt, suæq; defen-
 nis viribus in rebus sæpè publicis ac privatis la-
 psa erigunt, fatigata reparant, & non minus pro-
 vident humano generi, quam si prælijs atq; vul-
 neribus patriam parentesq; salvarent. *Adde quod*
 in magnis nonnunquam tempestatibus etiam
 summi ac peritissimi gubernatores Se à vectori-
 bus haud ægre admoneri patiantur, *nec quis, sed*
quid tempori conveniens auxilij aut consilij suppeditet,
attendatur. Adhæc mandatis oracularibus jubemur
 quærere pacem Civitatis ad quam transmigrare
 nos fecit Dominus, id est, omnia studiosè ea facere,
 quæ ad salutem & felicitatem Reipub. pertinent.
 Quod Ego pro meâ virili cò confidentius facio, quò cer-
 tius scio, Me in liberâ & nullâ servili obsecundatio-
 ne damnatâ vivere Repub. quâ & sentire quæ ve-
 lim, & quæ sentiam fidenter effari licet: parum cu-
 rans quomodo præclari illi, si Dijs placet, scriptorum
 meorum id accipiant Censores & orbilij, qui pro Dic-
 tatoriâ suâ, quam in Me sibi hætenus arrogare volu-
 erunt potestate, verba & scripta mea legalia ad liri-
 pipij sui tornum & cothurnum formare ijsq; nigrum
 præfigere theta non dubitarunt. Ad quorum blate-
 ramenta iam dudum occallui, eaq; tanquam gerras
 Siculas

l. 14. ff. de
 Advocat.
 diver. Ju-
 dic.

Cic. Phi.
 lip. 7.

Jerem. c.
 39. 7. ubi
 vide Osi-
 and. in
 marginal.
 hac verba
 ita expli-
 cantem.

Siculas & *Boëtica* λεπτολογίματα per lulum & jocum
hactenus recitavi: haud ignarus, quod quidam illo-
rum *Æsopum*, ut ajunt, nondum triverunt, multo-
minus prima *Juris Elementa* à limine unquam salu-
tarunt, atq; adeò in casu juris dubio atq; plebeiam sta-
tutorum municipalium cognitionem excedente peregri-
nis oculis videre

& tanquam nervis alienis mobile lignum
huc illuc se duci coguntur. *Alij* verò, qui se solos o-
mnis scientiæ arcē atq; acropolin superasse omniaq; ju-
ra in scrinio sui pectoris recondita habere existimant,
nimis intelligendo faciunt ut nihil intelligant, infensi
illis qui sciunt, quod ipsi nesciunt, nec aliud secum ad-
ferentes propositum, quam aliorum scripta & *Re-*
sponsa præclarissimorum virorum calculis approbata
Stentoreâ vociferatione infamandi atq; inconsulto ira-
cundiæ calore eorum *Autoribus* inexpiabilem invidi-
am excitandi. Proinde isti tales præconijs domesticis
elati & inter suos vix noti, cum personatam suam
sapientiam summoperè admirari cupiant, & vehe-
menter magnam famam atq; auctoritatem sitiant, neq;
apud homines ingeniorum intelligentes ullo pacto indi-
pisci possint, continuo fluctus in simpulo movent atq;
ex ruinâ alienæ existimationis scalam propriæ laudis
sibi erigere malunt, quam inglorij vivere & posteri-
tati non innotescere. *Equidem* ejusmodi *Suffenos* su-

*is moribus vlciscendos facile relinquo: at intellectum
meum instar mancipij alienæ lubidini prostituere atq;
ad nutum & arbitrium hujus aut illius Scioli Me
conformare semper turpe duco. Nondum enim sic de-
sipio, ut nesciam;*

*- - - quid distent æra lupinis
neq; rationes meæ tam sunt conturbatæ, ut ad agnatos
& gentiles sim mittendus, sivè parasiticum illud ad
machinas farinacias conficiendas usu faciam meum:
Quicquid dicunt, laudo: id rursum si negant,
laudo id quoq;*

*Terent. in
Eunuch.
act. 2.
Scen. 2.*

*Negat quis, nego: ait, ajo: postremo imperavi
egomet mihi*

*Omnia assentari. is quæstus nunc est multò v-
berimus.*

*Vsurpent illi, quibus sub istiusmodi Dictatorum anar-
chiâ vivere Eorumq; salivam lingere, & jam olim
ad inferos relegatum Piphani processum ab orco re-
vocatam laudare nulla est religio. Mihi mediusfidius
talis esca non fit vesca. Sed quo Me prodiga abripit
penna? Desinam hac vice plurimum atq; alia.*

*- - alys post me memoranda relinquam.
Nam, brevi bono cum Deo, Lucas de Pennâ, Legum,
Morum, Statutorum, Processuumq; naturam ceream
& perversam praxin prolixo filo & stilo emaculabit,
nec non heterogenea & ad superioris eminentiam
perti-*

*pertinentia jura à male fidei Possessoribus revindica-
bit, varijsq; modis alijs claudicantem in Civitate
Vulcanum celo ostendet.*

*Interea verò M. N. A. P. V. eâ quâ par est ob-
servantiâ rogo, chartas has Innocentiæ meæ indices
& vindices serenis frontibus accipiat, & contra
maledicos Calumniatores & Glosaspides honorem me-
um defendatis, Meq; non minus bonum Civem, quàm
bonum Virum ac vel ipso soliduriorum nexu mancu-
pioq; ex incorrupto animorum adfectu Vobis devin-
ctum habeatis. Velete in Imperio diu ac feliciter.
Dabam Dantisci Die 20. Mensis Decembris An-
no 1652.*

M. N. A. P. Varum.

Officiosissimus

LAURENTIUS GABLERUS
Juris Practicus & Poëta
Laur. Cæsareus

1. The first is the *Prætor*, who is the head of the *Prætorium*, and is the only one who can issue orders to the *Prætor*.

[illegible]

M. N. A. B. V.

179

James Watson & Co.
Lancaster, England



SIGISMUNDUS III. REX
POLONIÆ ET SVECIAE.

REX pius, & Regno longè regali^{or} omni
Sub Cælo quisquam si fuit, Ipse fui.
Fortunam domui magnis virtutibus atq;
Justitiæ cultor relligiosus eram.

Mænibus ac vallis Moscorum vrbs firma Smolenscum

Capta est auspicijs Orbe stupente meis.

Tum Machometigenas intestinosq; Rebelles,

Atq; Scytas stravi Marte potente feros.

Inq; meas Leges omnes jurare coëgi,

Dum posito victas ense dedere manus.

Sed Mihi GUSTAVI contra solius ADOLPHI

Insultus varios fors minus æqua fuit.

Quem tolerare tamen malebam sanguine junctum.

Quam strictè vlcisci damna vicemq; Meam.

Hinc OB CIVES SERVATOS victrice coronâ

Hostes adversus jure triumpho meos.

Vide Epitaph.
S. R. M. Cra-
coviæ positū.

GUSTAVUS ADOLPHUS

REX SVECIÆ.

Belligeros GUSTAVUS avos supereminet omnes
Quos certasse solo novimus atq; salo.
Cedat Alexander, Pompejus, Brutus, Vlysses,
Xerxes, Fabricius, Lentulus atq; Cyrus.
Teutoniæ Proceres atq; Invictissimus Ipse
Cæsar Ei victo Marte dedere manus.
Tum Bellona favens Ejus tot ubiq; Triumphis
Præclarum claris clarat in orbe tubis.
Jussit & erectis trans ultima Bactra columnis
Hæc Scribi æternis verba legenda notis.

INDOMITOS DOMUIT POPULOS GUSTAVUS
ADOLPHUS
TEUTONIÆ INVICTÆ VICIT ET ARMA SUIS.

In Eundem.

Nomine Magnus eras, Major victricibus armis,
Maximus Imperij Te minor Orbis erat.
Unde augusta Tibi sedes angusta quod esset.
Immensum Cælum Te rapit atq; capit.

In Eundem.

UT Patriæ es castris natusq; faventibus astris;
Sic Tua continuus vita Triumphus erat.
Qui Scriptores & Lectores omne per ævum
Delassare potest & recreare potest.

VLA.

VLADISLAUS IV. REX

POLONIÆ ET SVECIÆ.

E Sse PATER PATRIÆ mavis quam dicier, O REX
Deliciumq; Soli Deliciumq; Poli!
Nam Patrissando curas Hominesq; Deosq;
Atq; Tibi studijs jungis vtrosq; pijs.

Otia dum Pacis collapsæ pacis amore
Reddis amica Foro, reddis amica Choro.

Elatos quando Moscos victricibus armis
Ad nutum Pacem cogis inire tuum.

Extendisq; Tui decus & pomæria Regni
Ellogio Famæ perpetuante Tuæ.

Dein Musulmannos ferrum flammassq; moventes
Finibus à nostris Marte potente fugas.

Illorum & Lunas obfusas Sole nitente
Nominis illustris Numinis atq; Tui.

Tam pressos Prussos Sueonum de gente reponis
In libertatis jusq; decusq; suæ.

Ac Discordantes in Relligione Fideq;
Indictâ Synodo conciliare studes.

Quamvis, quisq; suo dum sensu admissus abundat,
Successu caruit res benè cœpta suo,

Maçte pijs ausis, Rex augustissime porro
Sic Pietas Cœlo proxima Sceptra dabit.

I D E M.

Fædere devinxi triplici Mihi tres tribus annis
Hostes, hinc triplex lausq; decusq; viget.

Quivis & Populus quem vesper spectat & ortus
Triplicat has laudes tergeminatq; Meas.

CHRISTINA SVECORUM GOTHORUMq; REGINA.

Magni magna Patris Soboles CHRISTINA
Suecorum,
Regina, & Gothici lucida Stella poli.
Tu rectè tanti mensuram Nominis imples,
Sublimasq; tui Numinis usq; Decus.
Dum Martis cultrix, Mortis Genitoris & vltrix
Maxima pro CHRISTI dogmate bella geris.
Opponisq; animos animosa Virago viriles
Hostibus innumeris fortior vna tuis.
Inq; Tuis Magnos Regesq; Ducesq; triumphis
Fers, & Eos cogis Sceptra timere Tua.
Quo contundatur dominandi dira cupido
Atq; Monarchiaci carnificina Status.
Quam Campanellæ campana cruenta per orbem
Cæpit pestifero notificare sono.
Perge velut pergis Regina Augusta salutem
Christicolis pressis asseruisse suam.
Vt tranquillatis Ecclesia motibus ægra
Optata possit Pace aliquando frui.
Et postliminio jus Libertatis avitæ
Germanis redeat municipale suum.
Sic totum implebis patrijs virtutibus orbem,
Teq; ævum Geniti postgenitiq; canent.

In can-

In eandem Polyglottam.

Esto Latinus, Hebræus, Græcus, Gallus, Iberus,
Anglus, Arabs, Batavus, Sarmata, Teuto,
Danus.

Reginæ Sueonum doctæ mirabêre promptâ
In linguâ linguæ quilibet orsa tuæ.

In Eandem.

Virgineos cætus Musarum quando Suecorum
Regia Virgo colit, callet & omne Sophos,
Quod Sacris legitur monumentis atq; prophanis,
Nunc decimæ Musæ nomen habere meret.

In Eandem.

Regina ad Regem Salomonem venit ab Indis,
Ejus & audivit mente stupente sophos.
Reginam ad Sueciæ Salomones atq; Solones
Auditum Sophicæ mentis acumen eunt.

JOANNES CASIMIRUS REX POLONIÆ ET SUECIÆ.

J Anum bifrontem pinxit finxitq; vetustas
Qui cautos oculos ante retroq; tulit.
Multis ac miris CASIMIRUS in orbe Polono
Sanctorum numero confociatus ovat.
Non minus hoc certè IANUS CASIMIRUS utroq;
Semideus nobis jure colendus erit.
Illius in Patriam nam mirus amorq; favorq;
Fecit mira togâ miraq; magna sago.
Sarmatiæ quando præsentibus atq; futuris
Prospexit pacem casibus atq; casis.
Bis binis annis figens præclara trophæa
Contra hostem horrendis viribus atq; viris.
Sanguine qui fuso tanquam cataclismus inundans
Regni florentes diluviavit agros.
Atq; status sexusq; habito discrimine nullo
Quosvis barbarico tradidit ense neci.
Maeste ruis porrò miris CASIMIRE triumphis,
Qui verè mirum nomen & omen habes.
Sic sua belligero constabit janua IANO
Clausa, per æternos nec reſeranda dies!

Ad Eun-

Ad Eundem.

UT fessos humeros Fraterqve Paterqve Polono
Subtraxere polo mole gravante suos.
Par oneri tanto multis è millibus Atlas
Unice supponis REX CASIMIRE Tuos.
Queis jam vicinum fulcis Systema ruinæ,
Atqve caves fiat, ne generale chaos.
O ingens Pietas! nam sublunaria cuncta
Hoc fulcro stabunt stante, cadente cadent.

In Eundem.

Quot pulices, culices, quot sunt æstate cicadæ,
Quotqve leves atomi sole calente volant.
Monstra renascentis tot noxia contudit Hydræ
Hercles Sarmaticus IAN-CASIMIRUS ovans.
Et stabulum Augiæ Scythicis à fordibus ausu
Bucera purgavit secla domando pio.
I nunc Alciden & priscum laudibus effer:
Ter magè mirandum terra Polona canit.

In Eundem.

Serenissimus atqve es Severissimus Idem:
Is Regis vigor est, Legis at hic rigor est.

BERNHARDUS DUX VINARIENSIS.

Jlustres animas inter quas Teutona tellus
Unquam vel genuit vel genitura dabit.
Heroum palmaris apex atq; alter Achilles
Princeps Bernhardus Vinariensis erat.
Qui non tam vitæ quàm Libertatis avitæ
Jus propugnavit bellipotente manu.
Gustavumqve Patrem Patriæ ceu fidus Achates
Omnes in casus est comitatus ovans.
Quo fatis cesso Phylirei ruris ad Urbem
Illius explevit fortiter Ille vices.
Atqve inclinatæ acies animavit in Hostes
Jam propè victores ante retroqve suos.
Quos animi magnâ cum strenuitate coëgit
In subitam sese præcipitare fugam.
Et sic in campo Martem servavit aperto
Exiguâ contra millia multa manu.
Adde triumphârit decies quod ab Hostibus atqve
Urbibus obsessis Sorte favente sibi.
Quas inter toti spectamen præbuit Orbi
Briseis tanto digna virago viro.

Sustulit

Sustulit at faustis Belli successibus auctum

Proh dolor! ante diem Mors inopina Ducem.

Affiduisq; illos involuit luctibus omnes,

Causæ assertores qui melioris erant,

Et quoq; tristis adhuc Germania Mater acerbam

Nati denati fletq; doletq; vicem.

Quando ægris oculis sua damna tuetur, & Ejus

Nunc alij ut comedant parte labore bona.

Sed Mundi hæc Scena est, alius venetur ut apros.

Pulpamento altri detur at inde frui.

Interea tamen hic Princeps Ter Maximus atq;

Inter Germanos gloria prima Duces,

Innumeris numero meritis super æthera notus

Vivit, & æternum non moriturus ovat.

B

GEOR.

GEORGIUS OSSANALYNSKI
SUPREMI REGNI POLONIÆ CANCEL-
LARIUS, ET SACRI ROMANI
IMPERII PRINCEPS.

Sum Legis Custos, Os Regis, & Auris, & intra
Cancellos teneo libera jura Gregis.
Jus & Justitiam recto moderamine penso
Pressis ac fessis portus & aura Reis.
Cæsar, Papa, Duces, Reges & Regna per orbem
Cuncta Stupent Svadæ Dædala verba meæ.
Ac Me miraculum seris memorabile seclis
Humani ingenij judicijq; canunt.
Hinc Ego fortunæ casus Sum promptus in omnes
Sive paludatus sive togatus eo.
Ac Patriæ belli motusq; metusq; tumentes
Supprimo Consilij dexteritate mei.
Quæ Me Virtutes nunc Dijs propioribus æquant.
Imperij & Princeps Cæsaris ore vocor.

Ad Eundem.

Maxime Dux Pietas Te Iusti mater & Æqui
Tanquam Semideum cernit in Orbe coli.
Et statuit statuas per secula cuncta loquentes
Facta patrata togâ facta patrata sago.

AXELI-

AXELIUS OXENSTIRNA CO-
MES ET REGNI SVECIÆ
CANCELLARIUS.

Germanæ Libertatis GUSTAVUS ut Atlas
Concidit Imperij cunctaq; membra tre-
(munt.

Nec quisquam poterat venienti occurrere dam-
(no,

Atq; ruinofam consolidare basin.

OXENSTIRNA suis humeris AXELIUS axem

Sustinuit Gothici Teutoniciq; poli.

Primus & inter primores ceu mobile primum,

Totum direxit Martis & artis opus.

Et velut in medijs Pharus inconcussa procellis

Consilij illustrem prætulit Ille facem.

Inde, ut *Stella Jovis* Cœlo splendet in alto,

Stella Bovis toto non minor orbe micat.

Virtutum radios terras & spargit in omnes,

Quas Sol exoriens occiduusq; videt.

JOHANNES OXENSTIRNA
COMES ET SENATOR REGNI
SVECIAE, NEC NON AD TRACTATUS
PACIS INGERMANIA
LEGATUS.

Quod Plato, quod Cato, quod Crato, quod So-
(lon atq; Lycurgus
Præstabant Genijs ingenijsq; suis.
Cunctorum id summum Decus OXENSTIRNA
(Sophorum

Nunc successor Iis omnibus omne potes.
Vnde Tibi Regni Sveciae Pancætion amplum
Magni Legati munus obire dedit.
At tractanda ratis commissa negotia punctis
Germano fieret Pax ut in Orbe redux.
Queis tam præclare functus pro parte virili es
Cum tot Selectis præcipuisq; Viris,
Vt prorsus cessent nunc post sex lustra peracta
Bella favente Deo sanguinolenta geri.
Atq; intestinis laceratus motibus Orbis
Rerum pacato plaudat ovetq; statu.
Quin & Libertas Patriæ tot pressa per annos
Libera facta jugo jubila mille canit.
Ac reflorescens eructat laudis agalma
Relligionis honor Justitiæq; tenor.

Tum

Tum Phæbi delubra patent & Musica castra
 Laudant summa Ionis astra tonisq; suis.
 Pro tam multiplici Divorum munere Pacis
 Quo Mundum Sveciâ diribitrice beant.
 Hujus & OXENSTIRNA Promotore Salutis
 Lætificant multispectora mœsta modis.
 At Tibi pro meritis Comes Illustrissime tantis
 Grates sat dignas dicere nemo potest,
 Lance nec æquali benefacta rependere quæ das
 Pressis Germanis participanda diu.
 Ne tamen iste labor pereat volventibus annis,
 Hæc animi grati sint monumenta mei.
 Paupere quæ cultu mea Musa paravit & alto
 Templo in Mnemosines conspicienda dedit.
 Quod Pax atq; quies Germanis finib9 omni
 Marte sequestrato sit data dante Deo
 JANUS sedulus ἑργαδιοκτῆς atqve συνεπτοῦς
 OXENSTIRNA piæ Pacis amore fuit.
 Hinc immortalī Lauro cingendus & Auro
 Dum stabit Tell9, dū Mare, dumq; Polus.

EPITAPHIUM ALBERTI DUCIS FRIDLANDIÆ.

F Amâ qui Magnâ magnum pulsabat olympum,
Ac propè vel magno Cæsare major erat,
Germanosq; omnes parmis frangebat & armis
Et toti Europæ terror & horror erat;
Jus & in Oceani tribuens sibi littora vasti
Tentabat toti ponere claustra mari;
Bestiolasq; Homines qui mente tumente vocabat
Atq; viris magnis verba superba dabat;
Inq; suam quævis vertebat prædia prædam
Quæ duxit oculis Commoda ferre suis;
Tum Canibus, Gallis, picisq; loquacibus ora
Claudere mandabat serietate suâ,
Transfossus frameâ Walsteniusæger in Egrâ
Nunc jacet hac sub humo vermisinermis Homo.
Qui legis hæc, summam Fortunam disce timere,
Quodq; favor Mundi sit levis atq; brevis.

JOHAN-

JOHANNES GABLERUS J.U.D.
COMES PALATINUS ET CON-
SILIARIUS CÆSAREUS
INTIMUS.

JNgenium & Genium si quis jactare scit absq;
Exemplo summum judiciumq; grave.
Vel genus à magnis atavis deducere partum
Præclarâ & charâ Martis & artis ope.
Sive triumphales propriæ Virtutis honores,
Aut mores factos de meliore luto.
Laudibus inter Eos palmandus jure beatis
(Teste vel Invidiâ) JAN GABELERUS erit.
Panfophiæ Templum, Phæbi chorus omnis, & omnes
Quem Musæ & Charites constituere suum.
Atq; Astræa tulit Famâ super astra perenni
Prælucens clari juris vtramq; facem
Tum magis illustrat sacri Comitiva Palati,
Et quod Cæsareus Consiliator ovat.
Cui quovis major casu Prudentia Se Se
Jungit, & extollit Suada venusta caput.
Majorum vestigia ritè sequendo suorum,
Nota per Eöas Hesperiasq; plagas.

Arbiter

Arbiter imperij Carolus quos Quintus Equestri

Ascripsit numero Nobiliumq; choro.

Admotosq; suo lateri conspexit Eosdem

Mox in agone togæ, mox in agone sagi,

Lucrari obtentæ crebra niceteria palmæ,

Et magnis meritis digna brabeia suis.

Inde tot â multis retrò volventibus annis

Hunc in præsentem temporis vsq; diem,

Imperij Romani Regibus atq; Monarchis

Grata fuit semper Gableriana Domus.

Virtutum ac titulis & Successoribus aucta

Continuis nituit Sol ut in arce Poli.

Nil metuens torvo quod turba catoblepa visu

Et Sejana cohors sæpè notârit Eam.

Vivat Io, vivat Virtutis nobile germen!

Illius & crescat laude vigente decus!

Agnatumq; favoris, amoris. honoris & oris

In Me deflectat signa benigna suum!

Vide Diplo-
ma sub dato
15. Men. oc-
tob. aō. 1555.

GEORGI-

GEORGIUS GABLERUS CIVI-
TATIS ERPHORDIENSIS PRÆ-
CONSUL ET REI BELLICÆ PRO-
TOCOMMISSARIUS.

Unguibus à teneris Musas sectatus & Arma es:
Quæ Tibi tergeminum progenuere decus.
Namq; paludatus Polemarchus in Vrbe trium-
(phas,

Dictator meritis atq; togatus ovas.

Dum Belli ac Pacis sic tempus vtrumq; gubernas,

Ne punctum excedat linea recta suum.

Innocuo Vitium nec prædominetur Honesto,

Sed primum teneat Fasq;, Piumq; locum.

Quorum præsidio tectus fers pectus in Hostes

Quoslibet intrepidum magnanimumq; tuum.

Proq; focis Patrijs & charis fortiter aris

Pugnando Musis otia grata facis.

Vt cum Iustitiâ Pax & Concordia concors

Mutua nunc libent basia mille sibi.

Quæ Tua præclaro nisu Prudentia magnis

Æquat Te Proavis edecumata tuis.

Et Tibi per terras donec Virtutis amantes

Annabunt Homines, Fama perennis erit.

C

JOHAN-

JOHANNES DE LINDA CIVITATIS
DANTISCANÆ PRÆCONSUL.

Hoc nunquam probior PROBITAS, neq; iustor ipsa.
JUSTITIA, aut major Vir pietate fuit.
Vita sit Illius speculum morumq; magistra
Omnibus atq; bonis norma sequenda viris.

GERHARDUS Brandes PRÆCON:

Vir Virtutis amans & servantissimus æqui
Et Charitum Templum Gentis honosq; fui.
In Patriam Mausoléo benefacta Sepulchro
Sunt digna, æternis atq; notanda notis.

JOHANNES Schwarzwaldt PRÆCON:

Publicitus feci testatum non mihi Cives
Esse datos, sed Me Civibus esse datum.
Quorum incrementum dum quæro domiq; forisq;
Contrivi vitam nocte dieq; meam.

BARTHOLOMÆUS Schachman PRÆ-
CON. ET EXOTICOTHAMIÆ CELE-
BERRIMÆ FUNDATOR.

Antiquata novas multa Antiquarius usu
Atq; antiqua sapis, Tu lapis atq; nova.
Sed tamen ut nimio captus novitatis amore es,
Linqvis in antiquo multa novanda statu.

JOHAN-

JOHANNES SPEYMANNUS A SPEY
EQUES AURATUS ET PRÆCON:

ME multis auctum retulit virtutibus inter
Auratos Equites aurea Bulla Papæ.
Consulis & fasces dedit Vrbs hæc æmula Romæ,
Aurea cui Studijs secula facta meis.

ECCARDUS A KEMPEN PRÆCON:

VT staret firmo res priva & publica nexu
Ista Mihi semper maxima cura fuit.
Sola Mihi at tantum post funera fama superster,
In tumulum traxi dum Genus omne meum.

ARNOLDUS ab HOLTEN PRÆCON:

TAlis Mercurius non ligno sculpitur omni
Qualis Ego Patriæ reque fideque fui.
Pacis amans Pacem Legatus ab hoste reporto,
Sed tantis Pacis non fruor inde bonis.

JOHANNES Gzierenberg PRÆCON:

ORbe quod in quovis vnquam Sophus Ille vel Iste
Præstitit, id præsto Civibus omne meis,
Plurima pro quorum absorpsi γλυκύπικρα salute
Publica privatis anteferendo bonis.

ERNESTUS KERL PRÆCON:

A Cri Judicio dignos Ego vindice nodos
Quos nemo potuit solvere, solvo meo.
Sed vires morbus Lyfandri fregit & omnes
Ingenij sensus abstulit vna dies.

VALENTINUS à BODECK PRÆCON:

UT Prudentia non robusta valentia Navem
Dirigit; Imperij sic fuit ordo mei.
Haud ignarus agat quod plus tranquilla potestas
Præcipiti motu quàm violenta suo.

CONSTANTINUS Ferber PRÆCON: ET PROTOSCHOLARCHA.

STellionatus abest à me procul omnis, & omnes
Odi, queis vno fasq; nefasq; loco.
Integritas, Pietas Mihi Jus & Candor & Æquum
Sunt curæ, pariter Curia, Tempia, Scholæ.

JOHANNES Rogge PRÆCON:

A Ut vdum aut sudum est, sum Juppiter omnibus
(idem,
Propositiq; tenax sto maneoq; mei.
Mænia cum Vallis, Pontes, Portæ atq; stativa
Ædilis curæ sunt monumenta meæ.

ADRI.

ADRIANUS DE LINDA PRÆCON:

CAna Fides Pietasq; canent, tum Juris & æqui
Norma meo Patruo me bonitate parem.
Fata sed ostenderunt tantum Civibus his Me,
Omnibus occubui flebilis atq; bonis.

JOHANNES ERNESTUS Schröer PRÆCON:

EX imo primus sum factus, & ore benigno
Imis ac primis gratus amore fui.
Cum prompsi variæ polydædala munera linguae
Me dixit Civem quælibet ora suum.

NICOLAUS PAHL PRÆCON:

COrpore Tu parvus, sed pectore Magnus es Atlas
Et PALUS quo stat publica fulta salus.
Quam firmat morum Symmetria pulchra tuorum,
Ne quid communis luxet hietvè status.

EILHARDUS Bobbert PRÆCON:

Sanctromanus Ego canâ gravitate verendus
Proq; Aris subeo plurima, proq; Focis.
Et Libertatis Patriæ jus omne tuebor
Donec in hoc aliquis corpore sensus erit.

DANIEL Falcke PRÆCON:

IN Te conspiciamus veteris vestigia Recti,
Atq; in corruptam cum Pietate Fidem.
Queis titulis scandes Famæ immortalis adarcem,
Et stabit meritis parta columna tuis.

ADRIANUS DE LINDA PRÆCON:

DEletum propè nativâ cum stirpe Tiletum
Propago, & Fasces Patris Aviç; mei.
Laus ab utroq; Mihi: Tiliæ nam Germina multa
Promittunt Patriæ flore & odore bona.

HEINRICUS FREDERUS PRÆCON:

INgenium Pallas, Charis Os Mihi, Peitho loquelam
Cor Candor, Mores finxit & ipsa Venus.
Omnia quæ junctim tribuit sibi publicus Ulus,
Omnes ac Gentes Urbis & Orbis amant.

FRIDERICUS ELERT PRÆCON:

TE Charites charum, variæ Te munera linguæ
Rarum, tum clarum Svada venustra canit.
Quivis ergo Bonus, dum misces vtile dulci,
Cuncta Patris Patriæ fert Tibi puncta bone.

JOHAN-

JOHANNES PROITE CONSUL:

Si quis Aristidem Virtute requirat in Orbe,
Hoc seculo justus PROITIUS alter erat.
Solis iter cursu citius cessasset ab omni,
Quam Vir Is à Justi Iustitiæq; Via.

TIDEMANNUS GIESE CONSUL:

ÆMula mitis & humani Sapientia Læli
Imbuit ingenium Cor Geniumq; tuum.
Quæ mores vitamq; tuam sic ordinat, à Te
Vt nullus mæsto pectore tristis eat.

EDVARDUS Rüdiger CONSUL:

Non mihi me natum duxi tantummodò solum
Esse, sed in miseros largus & Argus eram.
Communem Fiscum multis proventibus auxi,
Vnde alimenta Togis, unde alimenta Sagis.

ISRAEL JASKE CONSUL:

EX medio fortunæ vtriusq; es ductus acervo
Sensus vel census pondero quando tuos.
Fastus at omnis abest, & mores neutra priores
Mutat, vitæ idem est, qui fuit ante tenor.

GVALTERUS Rosenberg CONSUL:

Montibus in summis generosa roseta rosarum,
Vt pectus, sensus, corda, naresq; replent;
Sic vis Virtutum longè lateq; Tuarum
Ingenuos animos implet odore suo.

GEORGIUS Rosenberg CONSUL:

Dum valui volui Patriæ prodesse, nec esse
Fucus iners, purum mel sine felle tuli.
Sed Me curarum lentâ cum tabe marasmus
Eripuit terris & super astra tulit.

MICHAEL Bieder CONSUL:

ID fecit rerum multarum discolor usus
Factus sim Patriæ pars ut honora Patrum.
Moribus ac pravis semper contrarius esse
Nitor amando bonos atq; premendo malos.

JACOBUS Conradt CONSUL:

ET Genus & Genius par magnis rebus agendis
Magna sat in magnis experimenta dedit.
Vnde legent fructus quos Urbis circulus ambit,
Atq; meam famam fama loquetur anus.

JOHAN-

JOHANNES Borchman CONSUL:

PRudentem signat Jani bifrontis imago,
Qui cautos oculos antè retroq; gerit.
Casus præteritos Tu prudens atq; futuros
Spectas, hinc Jani nomen & omen habes.

NATHANAEL Schmidt CONSUL.

CURIA FABRICIO fabrica est: Respublica ferrum:
Forpex Iudicium: Malleus Ingenium.
Ignis Amor Patriæ: Lex Incus: Follis & aura
Virtus ac Pietas: Norma SALUS POPULI.

GABRIEL Schuermann CONSUL:

SUPPOSITOS sine calceolis cineri ire per ignes
Sponte suâ & temerè est damna creare sibi.
Tu ne quid pecces in publica commoda, sano
Omnes Consilio Res sapienter agis.

JOHANNES Kossow CONSUL:

CEDRO digna loquor quoties Echymitia tarda
Dicturo linguam solvit & ora Mihi.
Nec tam clarus Ego, quam charus hic esse laboro
Magnis & minimis sedulitate meâ.

CONSTANTINUS Brandt CONSUL.

UT sum Virtutis Patriæ non degener Hæres,
Sic colo Constanti mente fideq; Deum.
Nec minus & Patriam, pro quâ durissima quævis
Pectore Constanti ferre pati q; libet.

CLEMENS COLMAR CONSUL:

Non Ius, nec Populi vendo delicta, nec ære
Munia: se ditent aucupio hoc alij.
Aureus iste asinus namq; omnes sordibus ejus
Qui delectantur ducit ad ima Stygis.

In Eundem.

Est Mihi mens clemens & prona remittere culpas,
Quæ, quoties vehemens cogitur esse, dolet.

SIGISMUNDUS Kerffenstein BURGGRAVIUS

Audaces compesco manus Burggravius, & vim
Iniustam pænis, jure metuq; premo.
Vllus & vllius me non respectus ab illo
Proposito flectet, Tros Rutulusvè fua.

SALO.

SALOMON GIESE JUDEX.

Iudicium justus Regis Salomonis anhelans
Cuiq; suum tribuo. Fas volo, nolo Nefas.
Munera non palpo, neq; præceptis judico: prima
Actori patula est auris, at altra Reo.

NICOLAUS A BODECK CONSUL:

In statuis statuis Divosq; Deasq; viales,
Quas Leges mutas Civibus esse putas.
Mutæ sunt brutæ, fac cum ratione loquentes,
Qui factus Patriæ Lex animata tuæ.

DAVID KEMERER CON: ET SCHOLARCHA.

Tu sumptum miseris da Præceptoribus, & fac
Sit Methodus constans omnibus una Scholis.
Vulnera curabis sic denudata Scholarum,
Ægris & Musis magnus Apollo clues.

JACOBUS STÜVE CONSUL.

Quas multis alijs dotes Natura negavit,
Has Tibi propitio Numine larga dedit.
Propterea quovis casu Prudentia major
Judiciumq; Sagax Te super astra ferunt.

ADRIANUS ENGELCKE CONSUL.

Non fumosa tulerunt Me Suffragia lati
Ad clavi scita aut ambitiosa togam.
Sed morum probitas, & virtus nescia fastus,
Quæ falces ornant laude rigente meos.

GABRIEL LEUTSNIZ CONSUL.

Si mihi tanta facultas esset quanta voluntas
Confusæ Patriæ consuluisse bono.
Confestim recto jam starent omnia talo,
Ad lapsum inclinant quæ titubante pede.

JOHANNES WAHL CONSUL ET JUDEX.

Quod concessa mihi sit publica Judicis vrna,
Fecit Justitiæ relligiosus amor.
Quæ duce distribuo recto moderamine juris,
Præmia digna bonis præmia digna malis.

In Quatuor reliquos.

HOs Ego! sed motam præstat compescere pennam,
Illorumq; alio dicere gesta loco.
Digna novis annalibus, hujus & vrbis & orbis,
Prolixo Populis rumificanda stylo.

JOHAN-

JOHANNES Röckert SYNDICUS.

OS Populi merui quoties Demosthenis ore
Pro Populi dubiâ verba Salute tuli.
Instructas acies, & Reges Bella moventes
Flexanimis potuit sistere Suada mea.

CHRISTOPHORUS RICCIUS I. U. D. SYNDICUS.

Immensæ Oceanus Doctrinæ Riccius audit,
Et decimæ Musæ Bibliotheca nova.
Quicquid enim Veteres Scriptores sive moderni,
Aut hujus seculi discolor usus habent.
Illius est omnis promus condusq;: Minerva
Nam quod diversis contulit vnus habet.

VINCENTIUS FABRICIUS SYNDIC.

Qui versus terfos & acuti Rhetoris arma
Arte polire solent & fabricare sciunt.
Illos Fabricius vincit Vincentius omnes,
Fax Suadæ, Phæbi Stella jubarq; Dices.

In Eundem.

Fabrica Vulcani Te non formavit & iuncus,
Technophion Phæbi sed dedit atq; Dices.

In quo Sacchareo Veneres Charitesq; lepore,
Ora edulcarunt ad fora quæq; tua.
Hinc tot Fabricios priscos cum dotibus æquas
Ingenij, eloquij, consilijq; tui.

AD MAGISTRATUM DANTISCANUM.

HÆc Dantiscanæ cecini Rectoribus Urbis
Longis ac brevibus carmina pressa modis.
Si saltare volent ad Musica plectra Canentis
Saltipolitano nomine digna gerent.
Et PIETAS cum JUSTITIA saltantibus agmen
Ducet, Phæbus Eis atq; Choragus erit.

JOHANNES CORVINUS S.S.
TH. DOCTOR. ET TEMPLI PAR-
ROCHIALIS PASTOR.

NOlo Placentinus, sed veronensis haberi,
Haud Beneventanus sim licet inter eos,
Qui veteres turbant ritus, & dogmata falsa
Spargunt, atq; animo dissona labra gerunt.
Pulvillosq; suæ cupiunt substernere culpæ,
Ac pravis factis byssina verba dare.
Hos tamen at contra mea Me bona causa tuetur,
Integritasq; meum protegit ante Deum.

JOHAN-

JOHANNES BOTSACCUS S. S.
TH. DOCTOR ET AD DIUÆ
MARIÆ PASTOR.

Hæreticūm populosa cohors Me comminus atq;
Eminus infestat voce stiloq; gravi.
Labris & libris doctis quibus usq; resisto
Fortiter, os & eis sic calamumq; premo,
Abiectis clypeis tandem cogantur ut omnem
Causam cum toto cedere jure suam.

ABRAHAM CALOVIUS S. S.
TH. DOCTOR ET RECTOR GY-
MNASII DANTISCANI.

ENtheus æthereo calet igne Calovius atq;
Magnus Philosophus Theiologusq; cluit.
Ambiguam quovis Ille in certamine palmam
Omnibus Hæreticis Schismaticisq; facit.
Ad summam: ANTIQUA VIRTUTE FIDEq; VIR HIC EST,
Cui cordi est CHRISTI Gloria, Laus & honor.

DANIEL DILGERUS PASTOR
AD DIVÆ MARIÆ.

INtegra lustra decem Soteris Vineæ Christi
Gnavum cultorem ME videt alma suum,
Interea an tulerit labruscas illa vel uvas,
Præsens hæc ætas sive futura canat.

NA.

NATHANAEL DILGERUS TEM-
PLI PARROCHIALIS PASTOR.

GRande meo factum psephismate schisma, sed illud
Suppressit Populus victus amore mei.
Passio num mea sit, vel iusta sit actio Partis
Adversæ iudex candidus omnis erit.

In Eundem.

Quem non DILGERI penetrantis fulmina linguæ
Mulcent, is duri Cor adamantis habet.

M. JOHANNES JACOBUS CRAME-
RUS PASTOR JOHANNITANUS.

Sursum corda gero, punctum fero penè vel omne
Magni Theiologi par similisq; Patris.
Infula sola deest mihi Doctoralis, at ornat,
Mitra Magisterij clara Ministerium.

M. FRIDERICVS SCHÖNINGVS
DIACONVS ÆDIS MARIANÆ.

Maxima Coelestis Tu cognitionis abyssus
Et Sophiae magnos vincis in arte Sophos.
Hinc sacra pandentem Verbi mysteria tota
Concio Te laudat, Concio quando sonat.

JOHAN-

JOHANNES ALBINUS AD. D. JO-
HANNIS DIACONUS.

CORVINI candor corvo sibi rarior albo
Formavit morum Te probitate parem.
Quâ praeunte bonum certas certamen & horres
Scepticus & quicquid Scepticus ore crepat.

GREGORIUS HESE J.U.D.
ET PRÆCONSUL MARIAE-
BURGENSIS.

O Mihi præteritos referat si Jupiter annos,
Atq; Iuventutis flore virere daret!
Me nemo melior doctrinâ instructus & usu
Judicii normâ vel graviore mei.
Rectius hic posset rebus succurrere lapsis,
Et Consul patrio consuluisse bono.
Denegat auxilium sed vis incocta Senectæ
Mnema nec officio fungitur usq; suo!
At-dum vivo-tamen Patriæ prodesse studebo,
Et mihi erit POPULI cura SUPREMA SALUS.

JOHANNES PFENNIG PRÆ-
CONSUL CIVITATIS MARIÆBUR-
GEN: ET CONSILIARIUS E-
LECTOR: BRANDE-
BURG:

MAteria ex vili quoniam fit Nummulus hicce
Inde fit æstimium quod quoque vile putentur.
Ast alibi argento cum procudatur & auro
Ejus majori est in precio precium.
Vulgi judicio Pfenningi vilis habetur
Virtus, majori digna valore tua.
Crede mihi tantum cum sis hac Nummus in Vrbe
Si velles, aliâ Portugalensis eris.

Ad Eundem.

Nummus ubi cusus, ceu trita paræmia dicitur,
Et valor ejus ibi maximus esse solet.
Hic Nummus non hac fusus neque cusus in Vrbe est
Et tamen hic ejus maximus usque valor.

GABRI-

GABRIEL GABLERUS CIVI-
TATIS NEOGARDENSIS PRÆCON-
SUL, ICTUS, ORATOR ET
POËTA EXIMIUS.

SI Pietas, si prisca Fides, si Ius & Honestas
Virtutum ac totus Pieridumq; Chorus.
Hæc vellent culpæ facunda relinquere secla,
Ad Cæli superas & remeare Domos.
Chare Parens, nisi Me fallunt oracula Phæbi,
Et tua per terras dedita Fama vagas,
Suadelæ gravitate tuæ Sophiæq; Dicesq;
Doctrinæ omnigenæ mellinijsq; Tuis.
Flectere TE mentes Studia in contraria posse,
Sufflamen cæptis & dare credo vijs.
Ut redüces omnes vno glomeramine fiant,
Atq; Tuæ subeant hospita tecta Domus.
Dudum Doctorum quæ suffragante Senatu
Oraculi meruit nomen habere sacri.
Et Scholæ Virtutum Morumq; Magistra bonorum,
Quam mirata fuit magna minorq; cohors.
Imprimis Patriæ pro Libertate tuendâ
Cum TE conspexit pennipotente manu,
Atq; animo forti contra pugnare Leones
Terribiles fremitu Viq; metuq; truces.

Qui Te moliti totum discerpere, quondam
Pentheæ Cadmæos ut lacerasse ferunt.
Candida ni velles in nigrum vertere, turpi
Transfugio & causam deferuisse bonam.
Sed Tibi robur & æs triplex benè pectus ad istas
Numine firmavit concomitante minas.
Ut stares tanquam rupes Marpesia iusto
Sub clypeo constans in statione tuâ.
Bis tribus exactis lustris dum Cæsaris ordo
Te palmæ obtentæ laude frequente beat.
Civibus atq; Tuis sua municipalia jura
Asseruit strictâ cognitione fori.
Quo Spiræ Nemetum spirant oracula juris
Litibus ambiguis vindiciasq; ferunt.
Quæ Tibi cum Musis gratatus Apollo trophæa,
Victuro cecinit carmine facta tua.
Atq; Tui tandem sacri prope marmora busti
Hæc posuit chronicis postuma verba notis.
Hæc sunt In fossâ Gablerî Consularis ossa:
Vivent facta solo, Mensq; recepta polo.

GEOR-

GEORGIUS GABLERUS I. U. D.
ET DICASTERII STETINENSIS AC
CÖSLINENSIS ADVOCATUS
CELEBERRIMUS.

O Mnigenæ Te Doctrinæ myrmecia tanta
Commendat Doctis Frater amandæ viris,
Inter claros & charos Astræa sub astra
Quos tulit, vt merito Te numerare queam.
Et primas tribuam Livore loquente vel Ipso
In sophiæ & Suadæ qualibet arte Tibi.
Quarum ergo bis quinque annos Academica tempe
Lustrasti in varijs non sine fruge locis.
Auditum Juris Doctores atque Magistros
Quosvis autores enucleare bonos.
Ex quibus hausisti magno cum foenore quicquid
Profuit inde domi, profuit atque foris.
Communem & Patriæ conferres semper ad usum
Dotibus ingenij iudicijque tuis.
Queis juris nodos legumque ænigmata cæca
Tam mirâ solvis dexteritate tuâ,
Casibus in dubijs & sic ex tempore reddis
Responsum planum, consiliumque sagax,
Promptius ut nunquam vel Papinianus idipsum
Posset curatum Scævola sive dare.
Hinc in Pomrano cujusvis ordinis omnis
Tanquam Praxidicum Te colit orbe Deum.

Doctōrisq; Tibi titulos Salanus Apollo
Confert Virtutis præmia certa tuæ.
Qveis inter Stellās ut lucet Luna minores
Præ multis alijs laude decēte nites.
Majorum geminas dum Nobilitatis honores
In studio & stadio Palladis atq; Dices.
Sed quid Ego jacto tot honores atq; labores,
Qui Mortis spoliū sunt foliūq; cadens.
Ex quibus omnibus & Tibi Frater chare relictum est
Nominis ac Tituli nil nisi Fama tui.
Quæ viget in terris & passim postuma vivet,
Donec erunt Homines, & mare volvet aquas.
Interea fatis dum Nos disjungimur ambo
Gaudia gaudento non moritura Poli.
Atq; brevi cupidè Me Te spectato sequentem,
Quod partum in Cælis ad Politeuma Pijs.
Nunc ubi derides atq; omnes despicias illos,
Qui rodunt manes dente fremente Canes.

JACOBUS GEMLINUS CONSUL CIVITATIS CÖSLINENSIS.

Pomrano in tractu Mihi charior inter Amicos
Gemlinus gemmis omnibus unus erit.
Namq; alij fumos vendunt Candoris & umbram,
Is veram præstat pectore & ore Fidem.

SYLVA

SYLVA VARIORUM CARMINUM.

Descriptio Curiaë.

Curia curarum Domus & sentina laborum est:
Quem juvat ejus honos, grande subibit onus.

Catena Rerumpubl:

Justitia & Pietas sunt vincla sororia bina,
Combinata quibus sacra prophana vigent.

In Insignia Civitatis Dantiscanaë.

Quando Magistrorum Crucis Vrbs est facta Magi-
Et mala fracta fuit carnificina Crucis. (stra,
Regalem meruit Gens Dantiscana Coronam,
In Clypeo geminâ cum Cruce ferre suo.
Quem duo magnanimi rictu bipatente Leones
Stripant, & pedibus parte ab utraq; tenent.
Nempe supra Crucis est Insigne Corona levata,
Quod sub agone Crucis parva Corona fuit.
Fortiter utq; gerant tempus Crucis atq; Coronæ,
Ferre leoninum cor animumq; decet.

Fides

Fides Dantiscana.

Cana Fides toto non prorsus ab Orbe recessit:
Dantiscana Fides namq; ea cana Fides.
Cum cecinere Sueci: Veteres migrate Borussi:
Dantiscana Fides cana probata Fides.

Concordia Dantiscana.

Stat supra Portam CONCORDIA sculpta quod inter
Cives non stabilem possit habere locum.

Chronodistichon in Inducias Sueco-Polonicas.

Previse tibi pacem pacis tui angelus Anglus
Vt Galli & Belgæ bella parata vetant.

In Sophronisteriū Dantiscanum.

Sancti Raspinus Ego, disciplinare supinas
Et curvas mentes rectificare scio.
Degener hic hæres resipiscit, prodigus æris
Fit parcus, malus hic fit bonus atq; pius.
Hic servat castum Galathæa puella pudorem,
Effugit atq; procos illicitosq; jocos.
Dum solitum ad pensum lanæ liniq; canendo
Et nendo fallit tempora longa sua.
Ergo adsis vitæ nævis morumq; gravatus
Pro tantis morbis hic medicamen erit.

Hans

Hans in Eodem.

SCeptra Magistratus Hans ambit honora quotannis,
Per saltum & fieri Consul in Vrbe cupit.
Emendicatis confidens undiq; votis
Solum prudentem se putat esse virum.
Publica sed votis ejus contraria vota
Dant spem pertulo corbe referre domum.
Inde loco spretus nunc Hans manet Hans in eodem,
Et fricat scabiem nocte dieq; suam.

In Eundem.

HAns vult laudari, vult quis sit dicere, dicam:
Hans rabiosus Homo est, Hans scabiosus Ho-
mo est.

In quendam.

VT fragrans lummo de vertice balsamus olim
In totam barbam fluxit Arone tuam.
Sic Fabiane Tibi mucus per labra per ora
In barbam naso defluitante fluit.

Ad Eundem.

SI quævis fiat pendens Tibi stiria naso
Gemma, potes gemmis ædificare domum.

In infrugiferum Concionatorem.

Hic non tam Christum quam semet prædicat ip-
[sum,

Et propriam laudem quærit ubiq; suam.

Dum calamistratis verbis logodædalus uti,

Ampullisq; studet rhetoricante stilo.

Quæ feriunt aures, sed non in corda penetrant,

Auditor fructus nec capit inde sibi.

Tactio tum Textus rara est, & idem facit ille,

Quod Canis in Nilo, qui bibit atq; fugit.

Juris Principium, Medium & Finis.

Prinicipium Deus est, medium Deus, vltima Iuris
Meta Deus: Jus vis tollere, tolle Deum.

Judex incorruptus

Discito Justitiam Judex & munera spernas:
Hæc Jus pervertunt, cuiq; dat illa suum.

Clerici Pharisæi.

Dicentes at non facientes nos sumus omnes:
Pax, Pax clamamus sed lites semper amamus.

Clerico-

Clericorum Pleonexia

Damnat Avaritiam clamoso clericus ore,
Ære suo sed Eam comprobat esse Deam.

Oratoris & Aratoris Devotio.

Ajove Principium prudens orator ut inquit,
A Bove principium sit mihi Arator ait.

Populus Seditiosus.

Famosum ut Scopulum populum fuge bella mo-
[ventem:]

Nam cadit in scopulum, qui cadit in Populum.

Vulgus inconstans.

Turba magis linguâ quàm factis strenua turbas
Incipit à tonitru finit at in crepitu.

Syntaxis ebriosi Præceptoris.

Fert tibi Syntaxis Syntexin sæpe Magister:
Plurima nam nullam Re-gula τὰξιν habet.

Germani verè Germani.

Germani pereunt germanis casibus inter
Se Se, Germanos quis neget ergo pios?

Judex Dorophagus.

OMnia te adversum spectantia nulla retrorsum
Munera cum videam, jus metuo omne tuum.

Paupertas inventrix artium.

DUra quidem mater Paupertas, sed tamen arte
Atq; usu natos procreat illa bonos.

Anagramma in Sincerationes huius temporis.

PER se Sinceri nil Sinceratio præstat:
Si rectè inspicias, certa NECIS RATIO est.

In Dolobellam Centurionem.

NOMEN & omen habes; nam fraude doloq; favente
Maxima bella dolo Tu Dolobella geris.

Mulier malè contenta.

DICAM Jane Tibi quare tua murmuret Vxor:
Illa cupit multum, Tu dare pauca potes.

In Virginem non Virginem.

BELLA puella quidem, simul at lasciva capella es,
Cumq; Procis Veneris multa duella subis.
Hinc deflorato speciosi floris honore,
Nil præter sertum Virginitatis habes.

Conju-

Conjugium impar.

UXorem duxti parvam longissimus ipse:
Cur? quoniam parvum Fœmina parva malum.

Conjugium bonum malum

Vir bonus Vxorem pravam cur duxirit inquis?
Invenit emptorem merx mala sæpè bonum.

In Benedictum.

Impia dum maledicta vomis, benedicta nec audis,
Non Benedictus eris, sed maledictus eris.

Pugna Davidis cum Goliath.

Non magnus magnum prostravit inermis in armis;
Sic per parva Deus maxima sæpe facit.

In malorum Contubernium.

Nobis cum Vobis nil est, estote quod estis:
Nobis à vobis est bene abesse procul.

In Quendam.

DE Te nil habeo quod possim dicere quicquam:
Aut bonus aut malus es temporis acta dabunt.

In Cornelij Taciti Annales & Historias.

Quisquis Politicus cupis esse politus & ora
Romani eloquij melle rigare tua.
Illustriſ TACITI nunquam ſine laude tacendi
Gnaviter Annales Historiasq; lege.
Et ſub verborum myſteria tegmine teſta
Judicij libra penſiculato benè.
Sic quæcunq; vides mutato ſchemate morum
Et perſonarum nunc vbicunq; geri.
In claro ſpeculi tanquam lævore notabis,
Nil quod in Vrbe novum, nil quod in Orbe novum.
Sed præſens ævum ceu diſcolor Hiſtrio Scenæ
Alterius mores jam didiciſſe ſequi.

De Ijsdem.

Qui Tacitum nescit, nil ſcit, ſi cætera diſcit,
Nec dignus docti nomen habere Viri.
Ipſus enim vitæ morumq; Magiſter honeſtæ
Quæ facienda docet, quæ fugienda monet.
Vulpinaſq; aulæ partes benè tradit & artes
Et quibus Imperium ſtatq; caditq; modis.
Deniq; quicquid aſce ſcire hic pete dogmata, ſi vis
Digna patrare togâ digna patrare ſago.

In Ca-

In Calumniatorem meum.

Est Runcobuncobaculus qui verberare linguæ,
Mores & Famam vulnerat vsq; meam.
Concisumq; meâ facit omni ex laude minuta,
In ferculum asseclis complicibusq; suis.
Pergat more suo: is thesaurus namq; repositus
In linguâ est stultis ut maledicta crepant.
Et canibus similis semper latrantibus obsint,
Oris protervi pestilitate Bonis.

Convivium pro Marculo.

Marculus esuriens vult prandia carpere lauta:
Esto! Sed hoc capiat fercula structa modo.
Ejus dematur de Nomine Syllaba prima:
Sint Illi reliquæ potus & esca duæ.



Errata Typographica benevolus Lector sic corriget.

- a. 1. fac. 1. lege Principum pro Principium.
b. 1 fac. 1 l. respondendo pro respondendo.
b. 1. fac. 2. l. promiscuis pro promicuis.
ibid. l. quasi pro quæsi.
b. 3. f. 1. l. marmore pro more.
ibid. f. 3 l. similitudine pro similtudine.
c. 3. f. 2. l. facile pro falile.
c. 3. f. 3 l. Soliduriorum pro soliduriorum,
ibid. l. Valetate pro velete.
B. 3. f. 1. l. 1 ΕΡΓΟΔΙΟΚΤΗΣ pro ΕΡΓΑΔΙΟΚΤΗΣ.
C. 1. f. 2. l. justior pro justor.
C. 2. f. 1. l. superstes pro superster.
C. 3. f. 2. l. venusta pro venustra.
ibid. l. boni pro bone.
C. 3. f. 4. l. Connerst pro Conradt.
D. 2. f. 2. l. vigente pro rigente.
D. 3. f. 2. l. Veronensis pro veronensis.
E. 2. fac. 1. l. didita pro dedita.
E. 3. f. 1. l. amande pro amandæ.
F. 1. f. 1. l. balsamum olivæ pro balsamus olim.
ibid. l. de fluitante pro defluitante.
F. 3. f. 1. l. duxerit pro duxirit.
F. 3. f. 3. l. similes pro similis.

